20

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHYSIOLOGICO-MEDICA
DE

SERO CORPORIS HVMANI



QVAM
IVSSV ET AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO
DOCTORIS IN MEDICINA
DIGNITATE
IVRIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME IMPETRANDIS
ANNO CIↃIↃCCXLIX. A. D. XX. IVNII
ERVDITORVM EXAMINI
EXHIBET

IOHANNES LVDOVICVS FÜRSTIVS
ONOLDINVS.



ALTDORFII,
EX OFFICINA HESSELIANA.



PRAEFATIO.



Ii, qui morbos corporis humani, quorum ſane haud paruus eſt numerus, in ordinem redigere, et incertas claſſes diſtribuere, allaborant, haud pauca eorum morborum genera, quae a ſeri uel uitio, uel extrauaſatione, originem ducunt, nobis recenſent. Id quod iam ueteres probe agnouerunt, dum multos morbos a pituita deriuarunt. Vt autem eo rectius conſtet, quomodo ſerum hos morbos producat, uel, quid ſibi Pathologi uelint, ſi quando de morbis ſeroſis agunt, uel, qua ratione ſeri uitioſa conſtitutio ſit exploranda et diiudi-

canda; necesse erit, ut ex scholis Physiologorum, qui corporis sani indolem exponunt declarantque, probe discamus, quem, qualemque, humorem sub seri titulo nobis exponant. Id autem eo magis necessarium esse arbitramur, quo certius est, magnum adhuc esse inter Physiologos dissensum, si apud illos de hoc liquore sermo est. Hae itaque sunt praecipuae rationes, quae me quasi impulerunt, ut, cum ex mandato *Gratiosi Ordinis Medici*, inaugurale specimen edere debeam, prae aliis, hoc argumentum elegerim, mecumque constituerim *seri corporis humani* historiam paululum accuratius enucleare. Etsi nunc quidem mihi probe conscius sum, me eum haud esse, qui lites tantorum in arte medica eruditissimorum uirorum componere ualeat: attamen, quid ingenii uires in tam acuto dignoque argumento elaborando praestare possint, pro uirili parte periclitabor.



DIS-

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHYSIOLOGICO-MEDICA DE SERO CORPORIS HVMANI.

§. I.



Machina corporis humani, mirificum iſtud et omni admiratione digniſſimum maximi conditoris opificium, ex tam innumeris tamque interdum aliis exiguis organis, uel machinis eſt compoſita, ut etiam acutiſimorum oculorum aciem, immo ipſum armatum oculum aliquando ſubterfugiant. Hae uero partes omnes, etſi tam ratione materiae, quam formae, mire inter ſe differant: attamen ita ordinate et artificioſe cohaerent, ut non ſolum exactiſſimam ſymmetriam non raro inueniamus; uerum etiam, ut ad tam multiplices actiones edendas aptiſſime ſint inter ſe ordinatae. Non ſolum autem haec machina ex meris firmis, quarum plures ſunt, uerum etiam ex fluidis partibus, ita eſt compoſita, ut fluidae in ſolidas, et hae uiciſſim in illas, motu reciproco continuoque agere ſoleant. In quo motu reciproco deinde fundamentum et ratio totius uitae animalis eſt quaerenda.

§. II.

Quemadmodum autem partes firmae, ſeu ſolidae, ſub titulo *organorum*, uel *machinarum*, comprehendi poſſunt: ita partes fluidae a Phyſiologis *humores* ſalutari ſolent. Quae partium ſumma diuiſio, cum illa antiqua ab HIPPOCRATE iam inuenta diſtributione in partes

contentas, continentes, et impetum facientes, facile eſt conciliãda. *Humores* illi uero non unius conſtitutionis et uſus ſunt. Alii enim ad indiuidui conſeruationem; alii ad ſpeciei propagationem faciunt; alii corpus nutriunt; alii iſtud mouent; alii ſunt retinendi; alii excernendi; et inter eos iterum alii utiles, inutiles alii, in inſtitutionibus medicis uocantur; et quae diſtributiones eorum plures ſunt.

§. III.

Inter illos humores ſanguis ſane princeps eſt dicendus, non tam propter inſignem copiam, nec etiam propter eminentem purpureum colorem ſuum; ſed quia omnes ceteri humores, ſi uel ſolum chyum excipimus, in corpore animali, ab hoc fonte deriuantur, et ab eo ortum ducunt; deinde etiam, quia hac ratione maximum uſum in oeconomia corporis praeſtat. Poſt ſanguinem uero, omnino eminet *ſerum*, cuius copia omnes humores ſuperat, et de quo in praeſenti porro ſermo erit. Quoniam autem hic terminus *ſerum* in ſcholis Medicorum admodum uagus eſt; igitur, antequam definiam, quid proprie *ſerum* Phyſiologis denotet, uarios antea huius uocis ſignificatus, qui in ſcriptis Phyſiologorum inueniuntur, explicari debent. Tres autem potiſſimum ſunt huius uocis ſignificatus generaliores: interdum enim iſtud uocabulum a Medicis ſumitur in latiori et fere phyſico ſenſu; alias in ſtrictiori; interdum uero, et ut plurimum, in ſtrictiſſimo, ſeu in proprio ſignificatu; de quibus uero ſingulis interpretationibus nunc ſigllatim diſpiciemus.

§. IV.

Si itaque *ſerum* in triplici ſenſu, et quidem primo in *ſenſu latiori* conſideramus; per *ſerum* Medici nonnunquam intelligunt quemcun-

cunque humorem corporis nostri ad aquae naturam et indolem proxime accedentem, siue sit humor corporis nostri excernendus, vel retinendus; siue utilis sit, siue inutilis; modo, quatenus maximam partem cum aqua conueniat; uti sunt, lympha proprie sic dicta, liquor gastricus, pancreaticus, saliua, sudor, aqua pericardii, uentriculorum cerebr, lacrymae, etc. Atque tunc idem fere denotat ac Graecorum φλέγμα, et Latinorum Medicorum, inprimis qui GALENI dogmata sequebantur, *pituita*. Hinc quoque ortum ducunt illae locutiones, ubi eiusmodi humores uocantur *humores serosi*; unde deinde *morbi serosi, temperamentum serosum*, *pituitosum*, seu *phlegmaticum*. In hoc ampliori sensu de *sero* ita differit GEORG. WOLFFG. WEDELIVS (a): *Serum uocamus*, inquit, *quidquid aqueum primum est in corpore, et alimentarium consequenter quoque. Aqueum primum est, albidum colore, unde siue lympham nomines, seu laticem, seu humidum radicale, perinde est.* PHILIP. uero VERHEYNIVS in *Physiologia* sua (b), hunc *seri* significatum magis uocat *physicum*, ubi tamen *serum* quoque distinguendum esse docet, ab *aqua elementari*.

§. V.

In altero et strictiori significatu *serium* saltem uocatur uulgo dictum *serum sanguinis*. Si enim sanguis in concreto sumitur, eum, secundum nonnullorum mentem, commode in duas partes principales diuidi posse affirmant: in partem purpuream, quam in specie *cruorem* appellant; et in *serum*, seu partem Lymphatico-aqueam. Et quidem eam ob caussam, quia in corpore uiuo, et extra corpus ejusmodi quasi spontanea diuisio in has

(a) In *Physiolog. reformat.* pag. 37.
(b) Siue in *Supplement, anatom.* pag. m. 102.

has duas partes obseruatur. Si enim sanguis arteriosus uasa minima ingreditur, diuidit se in partem maxime *cruentam*, quae a uenis excipitur, (nec is enim cruor a parte *serosa*, uel *lymphatica* plane liber est) et in partem *lymphaticam*, seu *serosam*, uti alii loqui malunt, quae a uasis lymphaticis propriis uenosis absorbetur et circumuehitur. Extra corpus uero sua sponte omnis sanguis, uel ex uena, uel ex arteria emissus, post paruum temporis interuallum, naturali quasi modo in duas partes, *serum* nimirum et *cruorem* se resoluit; hac quidem distinctione, ut deinde *cruor* magis partem *solidam*; *serum* uero fluidam, referre soleat. Hoc *serum* Graecis uocatur distincto nomine ὀῤῥὸς, Latinis *serum sanguinis*; de quo in specie uideri potest, IO. THEOD. SCHENCKIUS, in *Historia seri sanguinis* in specie, saepius edita. Illi igitur qui duas saltem partes principales admittunt *lympham* a *sero* non distingunt, quia utrique humores mixtim fluunt. Atque in hoc significatu demum nominati WEDELII ualet sententia: *serum et ipsum alimentum est, et alimenti uehiculum.*

§. VI.

Nihil hic dicam de *sero lactis*, de quo non tam in physiologia, quam pharmacia, magis sermo est. Si enim *Lac* acescit, sponte separatur in partem solidam, *caseosam* et plane peculiarem substantiam, ad imitationem cruoris, et in *serosam* fluidam; etsi non negarem, *serum sanguinis* et *lactis* quoque inter se differe. Immo iam citatus PHILIP. VERHEYNIUS addit et *serum chyli*; hinc l. c. *Haec pars fluida*, inquit, *considerari solet, ut humor specialis, maxime in chylo, sanguine et lacte: soletque uocari serum; Et describi potest pars aquosior chyli.* Attamen, quoniam in statu hominis naturali et sano, siue

lactis, siue *chyli serum*, uix separatim inuenitur, nisi forte colostrum, lac istud, quod primo puerperis effluit, et lac quasi imperfectum ac serosum est, ita nominare uelis. Igitur *serum* physiologice considerantes, de horum humorum *seris* non aliter agemus, quam quatenus etiam ab his humoribus humor tenuis per poros penetrat, sicuti a multis aliis liquoribus corporis humani, qui peculiaria nomina habent.

§. VII.

In strictissimo et proprio significatu igitur, *serum* appellamus *humorem illum aqueum excrementitium multis salinis, aliisque naturae humanae inimicis, uel superfluis particulis repletum, ab humoribus aliis secretum et sub forma, uel fluida, uel halituosa excretum.* Quod autem *serum* maxima ex parte de principio aquoso participet, *etiam colluuies* omnium fere partium massae humorum sit, in eo omnes consentiunt auctores, et testimonii loco vel unicus sufficiat GEOR. DAN. COSCHWITZIUS, (c) qui sequens scholion in sua *Physiologia* habet: *In sero*, inquit, *concurrunt aquosae tenuiores, salinae, mucidae, et acres, biliosae, pingues, quae omnes inter se mixtae cohaerent, ut aquosa tenuis portio maximam atque primariam molem constituat, cui inhaeret paulo minus salinae, adhuc minus mucidae, et minimum sulphureae acris substantiae, quae tamen, licet minimam in mixtione portionem constituat, tanquam substantia agilis atque actiua, cum reliquis conueniens, dispositionem ac indolem fermentescibilem, orgasticam, halituosam inducit.* Hic denique humor ille est, quem Graeci olim uocarunt

 ἰχῶρ;

(c) *Organis. et Mechanis. in hom. uiu. obu.* pag. 43.

ιχως; quamuis hodie magis in ſtatu hominis praeternaturali a Pathologis et chirurgis hic terminus latine accipiatur.

§. VIII.

In hoc tertio ſignificatu *ſerum* proprie a Phyſiologis conſideratur, et de eo nobis potiſſimum *ſermo* eſt. Si itaque inquirimus in *originem* huius *ſeri*, et quidem *ratione materiae*, certiſſimum quidem eſt, materiam remotam eſſe alimenta, et inprimis potulenta; proximam uero cauſſam, eamque praecipuam eſſe ſanguinem, ſeu potius partem eius lymphaticam, et reiterata circulatione attritam, atque in *ſerum* mutatam. Hinc ipſemet Celeberr. GEOR. ERNES. STAHLIVS: (d) *Serum ortum ſuum ducit*, inquit, *bonam quidem partem e rebus per os aſſumtis; non exiguam tamen partem ex ipſo ſanguine, e ſua mixtione ſenſim iterum reſoluto, ſeu fatiſcente*. Praeterea ab aliis etiam humoribus, praeter ſanguinem, *ſerum* quoque ſequeſtratur; uel ipſi humores, alias interdum laudabiles, uel mora, uel motus defectu, uel motu nimis aucto, in eiusmodi limpidum *ſerum* fatiſcunt; quemadmodum optime de hac re iudicat ſupra iam adductus COSCHWITZIVS l. c. *Quod humoribus noſtri corporis, etiam laudabilibus*, inquit, *ortum quoque debeat ſerum, facile perſpiciunt illi, quibus cognitum eſt, quantum motus perpetuus attritorius, tam particularum inter ſe inuicem, quam ad latera partium poroſarum, ad humorum reſolutionem, particularum immutationem, ſaliumque generationem facit.*

§. IX.

Si autem perpendimus *originem ratione formae*, id eſt, ſi locum et inſtrumenta ſecretionis et excretionis conſideramus; profecto mul-

(d) *Theor. medic. uer.* pag. 222.

multifaria eſt *ſeri origo.* Non ſolum enim ab omnibus uiſceribus, uerum etiam a tota fere machina corporis, quae plane perſpirabilis eſt, ſub uario ſchemate ſecernitur. Et quidem interdum meat ſecerniturque per tubulos renales ſub urinae nomine in renibus; per glandulas miliares, poros, et minutiſſima uaſcula, tam in internis, quam externis corporis partibus, ſub forma tenuis humoris, uel uaporis, aut tranſpirationis inſenſibilis; et ſtatim ab ipſo ſanguine *ſerum per arterias ſeroſas*, uti eas Doctiſſimus IOH. FRID. SCHREIBERVS (e) uocat, ſi ita de illis dicit: *Ramus*, inquit, *ex arteria ſanguinea adceptum ſerum a corde ad partes adducit: continetur igitur ſub genere arteriae. Vti uero arteria ſanguinea ab humore, quem continet, nominatur: ita et fas erit, ramum illum uocare* arterioſum. Etſi nunc quidem haec *arteria ſeroſa* eſt uas ſecretorium *ſeri ſanguinis*: attamen deinde ſtatim ita pergit: *arteria ſeroſa ſecundi generis eſt uas, ſi deinde in corpore humano uiuo detur uas ſe ita habens ad arteriam ſeroſam uti haec ad ſanguineam: illa uocabitur arteria tertii generis: ſic ſcitur quid ſint uaſa quarti, quinti, ſexti generis. Valde probabile eſt, arterias ſeroſas ſic decreſcere uti decreſcant ſanguineae, etc.*

§. X.

Sunt autem illa uaſcula ſtupendae exiguitatis, ita, ut ſolis oculis vix, immo nec armato uideri poſſint. Si enim obſeruationibus per microſcopia inſtitutis famigeratiſſimi LEEVWENHOECKII fides habenda eſt, de quibus tamen plurimi eruditi minime dubitant, et potius eas pro fundamento hypotheſium ſuarum agnoſcunt, tam exigua

(e) *In Element. Medic. phyſico-mathemat.* pag. 355.

gua in corporis noſtri partibus uaſa ſunt, quae tamen *ſerum* transmittunt, ut omnem admirationem ſuperent. Teſtatur enim modo nominatus LEEVWENHOECKIUS, (f) ſe globulum ſeri non ſolum $\frac{1}{10}$ diametri globuli ſanguinei aequalem obſeruaſſe, uerum etiam tam exilia uaſa, quae 2000000 minora pilo barbae ſuae fuerint. Haec uero minutiſſima uaſa forte anſam dederunt celeberr. IO. IUNCKERO, (g) ut plane nulla uaſa ſecretoria et excretoria *ſero ſubtiliori* admiſerit: *Seri halituoſi modus excernendi*, inquit, *plane peculiaris eſt, et a reliquis humoribus ſequeſtrandis in eo differt, quod propriis uaſis ſecretoriis et excretoriis non indigeat. Tanta enim eſt illius tenuitas, ut ne ab anguſtiſſimis quidem colatoriis retineri poſſit, ſed quaslibet partes penetrare, permeare, et tranſire ſoleat. Vnde non tantum per externam corporis ſuperficiem, ſed etiam per quascunque interiores partes ſeri huius excretio perpetratur; id quod cadauerum ſectiones ad oculum demonſtrant: ubique enim locorum hos uapores exhalare obſeruamus, euidente documento, quod denſiſſimas quoque corporis membranas ſerum hoc halituoſum penetret, perque uarios modos uariasque uias diſſipetur et excernatur.*

§. XI.

Quoniam igitur *ſerum* ex uariis locis, et a uariis humoribus ſecernitur et excernitur, hinc etiam uarias admittit differentias, tam ratione coloris, ubi uel aqueum, uel albidum, uel flauum, etc. eſt, quam ratione qualitatis et quantitatis. Hinc a ſaepius commemorato

(f) *Arcan. detect.* pag. 16.
(g) *Conſpect. Phyſiol.* pag. 327.

morato COSCHWITZIO, (h) in *crassum* et *tenue* distribuitur; GEOR. HEN. BEHRIUS, (i) in quatuor species *serum* diuidit, scilicet in *halituosum*, quod per insensibilem transpirationem excernitur; deinde in *magis sulphureo-salinum*, quod sub sudoris titulo notum est; tunc in istud, quod praeter has particulas etiam *terrestres* et *crassiores* secum ducit partes; et denique in *serum mucidum*, seu *uiscosum*, quod muci nomine notatur. Pariter etiam *serum sanguinis* iam saepius citatus GEOR. WOLFFG. WEDELIUS l. c. diuisit, in *alimentarium*, siue *utile*; in *excrementitium siue inutile*, *et in medium excrementitium utile*, *et inutile.*

§. XII.

Haec a WEDELIO facta *seri* diuisio nos ducit ad famosam Physiologorum controuersiam; quando nonnulli *serum* a *lympha* distingunt: alii uero pro uno eodemque liquore ambo habent. Quapropter illi sanguinem dispescunt in tres partes: *cruorem*, *lympham*, et *serum*. Ita enim GEOR. PHILIP. NENTERUS (k): *Quamuis materia*, inquit, *quae circulatione per totum corpus circumagitur*, *uideatur liquor admodum homogenius*, *ex tribus tamen constat partibus principalibus*, *sanguine scilicet stricte dicto*, *lympha nutritia*, *et sero excrementitio*. Hi autem saltem, uti supra monuimus, in duas partes, nimirum in *cruorem* et *serum*, seu in *cruorem* et *lympham*; sicque *lympham* pro peculiari a *sero* distincto humore non habent. Priorem sententiam praeter hunc NENTERVM, defendunt quoque STAHLIVS, COSCHWITZIVS, IVNCKERVS, BEHRIVS, IO.

 MAVR.

(*h*) *In Organis. et Mechanis. in hom. uiu obu*, pag. 137.
(*i*) *Physiol. medic. pag.* 490.
(*k*) *Theoria homin. san.* Cap. IV. membr. 11. pag. 91.

MAVR. HOFFMANNVS, VERHEYNIVS, LANGIVS, aliique. *Lympham* uero a *ſero* non eſſe diſtinctam IO. BOHNIVS (l) contendit, ſi: *Sunt, qui inter ſerum ſanguinis et lympham diſtingunt, hancque laudabilem et roriferam, illud excrementitium pronunciant: aſt quam minus gnari oeconomiae animalis ſint, hoc ipſo turpiter teſtantur, cum ſerum intra uaſa ſanguifera fluctuans uix, niſi ſitu, a ſero lymphaticorum differat, eisdemque cum hoc qualitatibus gaudeat*; eumque ſequuntur BERGERVS, ORTLOBIVS, TEICHMEYERVS, FRID. HOFFMANNVS, BOERHAAVIVS et HALLERVS, quondam Praeceptor meus nunquam non colendus, aliique.

§. XIII.

Tota autem controuerſia Logomachiam ſapit, et, ut mihi uidedur, facile hi auctores inter ſe diſſentientes conciliari poſſunt. Hi enim, qui duos terminos, *ſerum* et *lympham* promiſcue ſumunt, u. gr. *lympham* diuidunt in *laudabilem* et *nutritiam*, atque in *illaudabilem* et *effoetam*; illa uero illaudabilis, ſeu *effoeta lympha* nihil aliud eſſe uidetur, quam quod alteri uocare ſolent *ſerum*: et qui *ſerum* in *utile* et *alimentarium*, atque in *inutile* et *excrementitium* diſtribuunt, nonne illi per *ſerum utile*, et *alimentarium* idem uolunt, quam quod alii per *lympham*? Igitur diſtinctius ſaltem illi loquuntur, qui *ſerum* et *lympham* pro duobus habent ſeparatis liquoribus, praeſertim ſi *ſerum*, uti ſupra monſtrauimus, in ſenſu ſtrictiſſimo conſideratur, et *lymphae* opponitur. Vt autem differentia horum duorum eo euidentius elucescat, appareatque; paucis oſtendere uolumus, quid in Phyſiologia per *lympham* intelligatur, et deinde qua ratione *ſerum* a *Lympha* diſcrepare ſoleat.

§. XIV.

(*l*) *Circul. anatomic. phyſiol.* pag. 186.

§. XIV.

Si Physiologis de *lympha* sermo est, quatenus ea adhuc cum sanguine, et quidem potissimum in arteriis, est coniuncta; tunc intelligitur per *lympham* pars sanguinis limpida, gelatinosa, particulis nutritiuis, aliisque humoribus utilibus repleta, ac conseruationi hominis summe necessaria. Quod si uero iam a sanguine separatim consideratur, quatenus in *uenis lymphaticis* a sanguine arterioso libera deprehenditur; tunc, ut uerbis Illustris FRID. HOFFMANNI (m) utar, ita definitur: *Lympha*, inquit, *est liquor diaphanus, aqueus, subtili gelatina imbutus, qui peculiaribus uasis, dictis lymphaticis ac pellucidis ab ambitu corporis et substantia partium ad cor reuehitur.* Qui etiam in sequenti scholio, *eam multum cum succo nutritio conuenire, immo eam originem ab hoc succo habere,* contendit. Plura autem quae de hac *lympha* et *uasis lymphaticis* dici possent, lubens praetereo; quia mihi animus haud est, de hoc humore copiosius uerba facere, ne nimis extra oleas excurrere uidear. Qui uero ampliorem huius rei historiam desiderat, is euoluat scripta (n) eruditissimi THOM. BARTHOLINI, qui sibi ipsimet inuentionis gloriam horum uasorum uindicare studuit.

§. XV.

Quando itaque differentias, tam ex antea prolatis, quam ex aliorum Physiologorum scriptis, colligimus, experiemur, hos humores, si

(m) *Medicin. rational. systema.* Lib. I. Sect. II. Cap. 3. §. I.
(n) *Opusc. nou. anatomic.* Hafn. 1670.

si ambo, tanquam secreti, considerantur, differre inter se: 1) *ratione qualitatis*; *lympham* enim describunt tanquam humorem multis particulis laudabilibus, gelatinosis, subdulcibus, immo adhuc residuo succo nutritio, liquidoque neruea, impraegnatum: *serum* uero, tanquam fluidum, particulis impuris salino-sulphureis, crudis, terrestribus, aliisque massae humorum noxiis partibus repletum. Ideoque *lympha* in coagulum album abit, et exsiccando ualde conuenit cum albumine oui, teste magno HERM. BOERHAAVIO, (o): *lympha*, inquit, *cum sanguine inter humores nostros coagulabilis est, et continet omnes particulas sanguinis, quae rubro globulo tenuiores sunt*: Haec autem de *sero* minime dici possunt. 2.) *ratione usus*; *lympha* pro utili et retinendo uitae ac sanitatis conseruationi summe necessario liquore habetur: *serum* ex aduerso, pro tali humore, qui merito tanquam oeconomiae uitali superfluo et noxio, ideoque pro excernendo et excrementitio liquore iudicatur. 3) *Ratione sedis*; *lympha* peculiaribus uasis, quae ab ea nomen habent, nempe *uasis lymphaticis* continetur, et denuo chylo ac tandem sanguini admiscetur; ubi de nouo cum eo circulatur, nouumque usum praestat: *serum* autem per uaria colatoria corporis eiicitur, et omni modo sub uario schemate, tanquam purgamentum sanguinis, aliorumque humorum, extra corpus eliminatur et proscribitur.

§. XVI.

Si mihi itaque licitum est, quid de hac distinctione inter *serum* et *lympham*, et inde orta controuersia, sentiam, aperte profiteri: distin-

(o) *Institut. medic. c. praelect. academ. et. not.* HALLERI. §. CCXLIX.

diſtinctionem diſtinctionis inſtituendum eſſe exiſtimo. Quando enim hos duos liquores ante ſecretionem diiudicamus, quam diu inprimis adhuc cum ſanguine ſunt coniuncti atque commixti, tunc non deberent tanquam diſtincti humores diuerſis denominationibus appellari, ſiquidem *ſerum* in ſecundo a nobis indicato ſignificatu, quatenus opponitur *cruori*, idem eſt, ac *lympha* et uiciſſim. Si uero ambo illos humores tanquam iam ſecretos intuemur, tunc omnino inter *lympham* et *ſerum* diſtinctio eſt admittenda, et, ut diſtincti humores peculiaribus terminis ſunt denominandi, id quod nos antecedens docet paragraphus. Hac enim ratione deinde in tertio ſignificatu, eoque proprio et communi ſenſu ſumitur, et peculiare humorum genus corporis humani conſtituit, cuius deinde quaſi ſpecies, ſeu uarietates, ſunt: *ſudor*, *tranſpiratio*, *urina*, *mucus*.

§. XVII.

Cum igitur *ſerum* in Inſtitutionibus medicis ad humores excernendos inutiles referri ſoleat, merito quaeritur, num plane nullum uſum *ſerum* praeſtet in corpore humano? ubi omnino reſpondendum eſt: in hac humorum diſtributione uocem inutile non adeo in ſenſu rigoroſo eſſe aſſumendam, ſed ſecundum ſenſum medicum iſtud uocabulum eſſe interpretandum, ubi tanquam oppoſitum *humorum excernendorum utilium* ponitur; qui a Celeberr. IO. MAUR. HOFFMANNO, (p) ita definiuntur: *Excernendi inutiles humores ſunt*, inquit, *qui nulli uſui eſſentiali per ſe deſtinati, quin potius, propter noxam corpori ex illis retentis imminentem, eliminandi ſunt.* Alias enim *ſerum* licet non *immediate*, tamen *mediate* etiam uſum, eumque uarium corpori humano praeſtat, et quidem eatenus, quatenus cum aliis

 humo-

(p) *Sciagraph. Inſtitut. Medicar.* pag. 32.

humoribus adhuc eſt coniunctum , tunc baſin omnium fluidorum in corpore animali conſtituit ; quoniam principium phlegmaticum largiſſime in illo inuenitur , humorumque fluxilitatem promouet , eorumque non nullos nimis acres temperat , et alios nimis torpidos ſtimulando excitat ; unde hanc ſententiam apud ſaepius laudatum GEOR. WOLFFG. WEDELIUM (q) inuenimus : *Serum* , inquit , *eſt frenum bilis et excitabulum.* Deinde etiam , ſi iſtud tanquam ſecretum humorem conſideramus , hac ratione , ut humidum halituoſum et uaporoſum omnes fere partes ſolidas permeat , humectat , lubricat , flexiliores , NOTmollioresque reddit ; de quo quaſi uniuerſali uſu admodum iocoſis uerbis modo excitatus WEDELIUS l. c. diſſeruit : *Sufficiat uniuerſalem ſeri uſum tetegiſſe* , inquit , *quod ſit miniſter publicus et communis , omnium totius corporis partium famulus. Perluit totum corpus intus et extus , ubique praeſens eſt , nullibi non obuium , etiam ubi princeps humor ſanguis nullum habet omnino acceſſum. Mercurius eſt , et uelut tabellio , undique fines regni microcoſmici percurrens ; miles eſt perpetuus , et ueles , ut adſtet ubique. Imbibit omnia et humorum tincturas reliquorum recipit , omnibus conſimile , reddendum facile.*

§. XVIII.

Denique non diffiteor plura adhuc de *ſero* in ſcenam produci poſſe , quae eius hiſtoriam adhuc magis illuſtrant : uerum tempus praefixum aliaeque rationes haud permittunt , ut huic labori diutius inſiſtam. Vela igitur nunc contraho , et ita diſquiſitioni impono

F I N E M.

PRAE-

(q) *Phyſiol. reformat.* pag. 87.

PRAENOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO.

IO. LUDOV. FÜRSTIO.

S. P. D.

D. IO. IAC. KIRSTENIUS, P. P.



Si quando ueteres quidam Artem pharmaceuticam uocarunt *medicinae oculum dextrum*; uel Pharmacopoeum, *manum medicinae dextram*; nihil aliud indicare uoluerunt, quam quod Medico Pharmaciae cognitio ita ſit neceſſaria, ut quaſi principem partem artis ſuae conſtituat. Idcirco illi plane non per ambages, ſed potius tanquam optime praeparati, aggrediuntur ſtudium medicum, qui antea hanc artem, Pharmaciam puto, ſibi probe cognitam atque perſpectam reddidere. Quorum exemplum TV quoque, *Candidate digniſſime*, prudentiſſime es ſecutus. Poſteaquam enim hac arte ſatis imbutus; per aliquot annos, tam apud Göttingenſes, quam apud nos, non ſine ſingulari induſtria et ſedulitate artem ſalutarem excolere ſtuduiſti: mirum non eſt, TE etiam haud exiguos in ſtudiis TUIS profectus feciſſe, et quidem eos, qui TE dignum praeſtiterint, ut nunc ex merito ſummos in arte noſtra honores referre poſſis. De quibus honoribus proxime conſequendis, TIBI non ſolum ex animo gratulor, uerum etiam, ut et impoſterum TIBI omnia bene proſpereque cedant, eſt, quod maxime in uotis habeo. Vale. Dab. Altorf. d. 19. Iun.

An. CIϽIϽCCXLVIIII.

Sic medica, FVRSTI, TE oſtendis in arte magiſtrum,
Sic DOCTO ſtrenuum praeſtas certamine heroem;
Sic quantum PHOEBVS TE diligat atque GALENVS.
Hoc Specimen tam conſpicuum, tam nobile monſtrat;
Mox TIBI decentes meritosque MACHAON honores,
Mox TIBI DOCTORIS titulum feret atque tiaram;
Mox et HYGEA TIBI ſociabitur annulo et auro,
Excipietque ſuauiolo TE caſtus APOLLO.
Res feliciter ergo TVAS age ſemper, AMICE,
Viue diu mactus uirtute, meique memento.

Ita
NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE DOMINO RESPONDENTI
artis ſalutiferae honorum
CANDITATO DIGNISSIMO
amicitiam haud fucatam gratulabundus teſtari uoluit,
CHRIST. IACOB. APIN,
Opponens.

Conſcendis hodie ſumma cum laude Cathedram
Et ducis TECVM Praemia digna ſimul.
Certum non ſolus dat Iuſtinianus honores,
Et Galenus amat magnificatque ſuos.
Gratulor inde TIBI, ſuccedant proſpera plura,
Cuncta TIBI, FVRSTI, ad uota ſecunda fluant.

His paucis
PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO DOMINO
DOCTORANDO
omnigenam apprecatur
felicitatem, et fauoris amicitiaeque honorem
ſemper conſeruandum ſibi expetit
FRIDERICVS THEOPHILVS PANZER,
Sulzbac.
Med. Stud. Opp.

Die

Die Ehre flieht und eilt; sie eilt mit schnellen Schritt
Von dem, der sie nur sucht und fast auf jeden Tritt
Nach ihrem Kleinod strebt; den, der nicht nach ihr trachtet,
Den, der auch nimmermehr sich ihrer würdig achtet,
Erhebt sie auf den Thron. Das sieht man auch an DJR,
Dann DU stellst Dich hierinn zum besten Beyspiel für;
DU, o Gelehrter Freund! den ächte Weisheit zieret,
Den Tugend und Verstand zum Ehrentempel führet,
DU fliehst, die Ehre kommt, sie hat sich nicht verweilt,
Nein! Dir den schönsten Lohn, sich selbsten mitgetheilt.

Hiermit wollte
Dem Hochedlen Herrn
CANDIDATEN
seinen ergebensten
Glückwunsch abstatten und sich bestens empfehlen
ein treuer Freund
und Diener

Johann Georg Roth,
von Weissenburg,
D. H. G. G. B.

So

So bricht die Freundschafft auch in fremder Lufft herfür,
Und wann sie sprechen soll, so naht sie sich zu DIR.
DU weist wohl wie ich mich bey Deiner Würde freue,
Und Wunsch und Zärtlichkeit aus treuer Brust erneue.
Dahero siehest DU den Grund zu dichten ein.
Wie? solt ich wohl dein Freund und ungerühret seyn?
O nein! mein Herze fühlt der Freundschafft süsse Flammen,
Die, weil sie edel sind, aus wahrer Freude stammen,
Jezt zeigen sie sich recht. Mein wünschen und mein flehn,
Soll DICH, gepriesner Freund! in Zukunfft glüklich sehn,
Drum folge dem Geschick, Dein Wohl soll immer steigen!
Und bleibt mir Deine Gunst, so kan ich ruhig schweigen.

Hiemit hat dem Hochedlen Herrn CANDIDATEN
zur künftigen DOCTOR-Würde
gehorsamst Glük wünschen
und sich dessen fernere Freundschafft
aus bitten wollen.

Halle den 12. Iun. 1749.

Desselben ergebenster Freund
und Diener
Johann Zacharias Sonnenmayer,
von Weissenburg.

Mon-

Monſieur le CANDIDAT,
mon trés honoré Ami!

L'estime que j'ai pour Votres merites, m'oblige ces lignes â Vous addreſſer, pour un gage de l'inclination, qui me fait preñdre part au bonheur qui vous arrive. Car aujourd'hui eſt ce jour qui fait preuve de Votre Erudition en Medicine, et qui repond â Votre diligence. Vous étes maintenant les delices de Vos chers Parens et l'ornement de Vos Amis. Tous ces Votres Amis Vous applaudiſſent, et moi, je n'ai que d'envoyer mes ſouhaits au ciel, quil Vous laiſſe obtenir une ſanté qui est la plus parſaite, et un ſort, qui toûjours augmente Votre bonheur. En fin je Vous prie de m'accorder la Grace de m'honorer de Votre Amitié, et de Vous quelque fois ſouvenir de celui, qui ne ceſſera jamais d'etre jusqu'au tombeau

Monſieur le CANDIDAT,
mon très honoré Ami,
Votre très-humble et très
obeiſſant Serviteur
IOACH. ALBERT. SCHNELLER,
de Weiſſenbourg.

Ce 20. de Iuin.
1749.

du

Du hast, Hochedler Freund, die Zweiffel schoen bestritten,
Dich croent ein edler Geist, Dich croenen holde Sitten:
Der Lohn folgt schleunig nach; ich freue mich dabey,
Und wünsche, daß Dein Glük allzeit das beste sey.

Diß sind die redliche Wünsche,
Womit dem Hochedlen Herrn Candidaten,
Seine Ergebenheit bezeigen,
Und sich zu fernern Gewogenheit empfehlen will,
Dessen
ergebenster Freund und Diener,
Johann Schoenleben, aus Nürnberg.

CORRIGENDA.

Pag. 6. lin. 11. et 12. *pro*: chyum, *lege*. chylum.
Pag. 7. lin. 19. *pro*: *serium*, lege serum.

